



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Prigritia & otio multos marcescere, & ægrotare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

accusant, neque in proprium sinum inspiciunt, vt morborum suorum veram originem deprehendant. Naturam accusant fragilem, quam ipsi faciunt fragiliorem. De medicorum queruntur impericia, & suae intemperantiae obliuiscuntur. DEVM immitem arbitrantur, qui eos sinat male valere, cum ipsi sibi sint crudeles, & morbos mortalesque vltro accersant. Neque enim tantum periculis, sed etiam causis morborum se se propinant. *Morborum omnium*, inquit Hippocrates, *vnus & idem modus est: locus vero ipse eorum differentiam facit. Quare videmus quidem morbos inter se nihil simile habere, propter diuersitatem scilicet locorum, cum sit tamen vna morborum & species, & causa quoque eadem.* Nempe eadem prauorum humorum disturbatio & pugna, aut sanguinis corruptio in diuersis corporis partibus, quarum temperies dissimularis est, apta etiam atque potens est efficere morbos diuersos. Sic, si generatim loquamur, turbatio inordinatioque mentis, & prauus appetitus in diuersis hominibus, quorum alij aliter afficiuntur, potest, soletque diuersos iisdem creare morbos, quibus minus indignarentur, si cogitare vellent, a sua culpa vitijque proficisci.

Hippocr. lib. de flatib.

Pigro, cui supplicij loco labor est, quies sua non solum dulcis videtur, verum etiam salutaris. Sedendo, otiando, stertendo pinguescit, sicut glis montanus. Quid igitur? Num idcirco morbos vitat? immo nutrit. *Male mihi esse malo, quam molliter*, ait Seneca. *Si mollis es, paulatim effaminatur animus, atque in similitudinem otij sui, & pigris, in qua jaces, soluitur.* Subscribit Isidorus, cuius haec sunt: *Per torporem vires & ingenium defluunt.* Alius est desidia affectus, alius effectus. *Torpor & ignavia dicunt: si leuioni, continuato studio, semper insistis, oculorum caliginem incurris. Si indefinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis. Si protelatis vigilijs psalmorum censum persoluis, insaniam capitis acquiris. Si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale quando consurgis? Hic est ignavia affectus. Effectus autem quis? Ignavia nemo immortalis factus est,* ait alio quidem intellectu Sallustius, sed etiam nostro verissimè. Quia, teste Demetrio, *in otio inconcusso jacere non est tranquillitas, malacia est, qui & vitam desidiosam mare mortuum vocat.* Vt ergo aquae stagnantes, quae non commouentur, citius

II.

Senec. ep. 33.

Isidor. lib. 21 foliloquior. S. Augustin. lib. de conflictu vitiorum & virt. 9.

Sallust. in Iugurtha.

Senec ep. 68. ad Lucilium.

214 Cap. XXII. Octava morborum causa, homines per sua vitia, putrescunt; ita nemo facilius ægrotat, quàm qui minimè laborat. Ambulans, currens, sudans, multos noxios dissipat humores, qui in varias corporum pestes colliguntur. Frigora, æstus, imbres, niues, tempestates rident, qui aratro assueverunt. Delicatos, quæuis asperior aura afflans deijcit. Cui ergo ascribendum est, si caput statim dolet pigro? si pondere venter penè rumpitur? si aquiliculus pingui tentus omaso non sinit respirare ambulantem? Si stomachus crudo cibo oneratur? Si lacerti languent frigore? Si pedes vix possunt tolli ad gradiendum? Etiam fax immota torpet, quæ ignem agitata restituit. Antiquum verbum est: *Emollit otia vires, sicut rubigo ferrum.* Quod Mantuanus quoque his versibus monuit:

Horat. lib. 2.
serm. sat. 5.

Bapt. Mantuan. lib. 1.
Parthen.

*Calcar erit segni; pigros rubigine sensus
Otia corrodunt, sopitaq; pectora corpor
Noxius obliquat. Ferrum si transit in vsu,
Assiduo splendore micat, vultuq; nitenti,
Audet ad argenti decus aspirare superbum.
At si longa quies ierit, fuscatur, & atram
Vertitur in scabiem, celeriq; absumitur ano.*

Multi fessitando ægroti facti, ad sanitatem redierunt, postquam cursu, pila, venatione, aut alio vtili labore corpus cœperunt exercere. Pigrizia igitur, quia culpabilis & pœna digna est, seipsam morbis plectit, quibus careret, si laborare voluisset.

III.

Quid ira valerudini noceat, vel ipse color indicat vultibus horum inductus. Animo calente, facies quoque calet,

Senec. in
Thyeste.
Senec. li. 1. de
ira. cap. 1.

*Cum spirat ira sanguinem, nescit tegi,
sed fronte tota, quod spirat, profitetur. Nescias, ait Seneca: utrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Cetera licet abscondere, & in abdito alere: ira se profert, & in faciem exit: quantoq; maior est, hoc effertur manifestius. Ac paulò supra: Ut autem scias, non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intueri. Nam, ut furentium certa indicia sunt, audax, & minax vultus, tristis frons, sorua facies, citatus gradus, inquieta manus, color versus, crebra, & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exastuante ab imis præcordijs sanguine; labia quatuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subiunguntur.*